

execrando. Scimus ex Daniele, cap. V. vasa sacra templi Jerosolymitani, quæ ad Dei cultum et hominum devotionem erant fabricata, Balthasari interitum attulisse, dum ipse jam temulentus jussit ea afferri ad mensam suam, et bibit ex illis ipse et optimates, reginæ et concubinæ ejus. In eadem enim hora qua jussit afferri vasa illa, Deus illi præscripsit necem in pariete, eademque nocte interfectus est. Idem prorsus contingit illis, qui sacramenta, quæ sunt sacratissima vasa, ad Dei cultum et salutem nostram instituta, impio ore profanant, traducunt, execrantur et deludunt pastorem mensis et compitis. Talibus enim fiunt in ruinam et damnationem, quæ a Christo instituta sunt ad omnium salutem. Theagenis statuam quidam ejus obtrektor singulis pene noctibus tamdiu flagris cecidit, donec tandem super ipsum corruit eumque oppressit. Pausanias in Eliacis. Sic isti, quia sacramenta salutis suæ, monumenta Christi Domini salutaria quæ alioquin ad salutem nostram erecta sunt, blasphemias cædunt, ab ipsis opprimuntur. Unde Christus appellat se *lapidem offensionis*, qui conteret eum, in quem ceciderit. Hæc sunt vasa illa, quibus oleum cæleste nobis ministratur. Jam vero qui hæc vasa confringit, nonne in ruinam suam frangit?

VI. Qui Christi mensa abutuntur; uti primo qui ad S. Eucharistiam indigne accedunt: talibus enim cedit in ruinam S. Cyprianus, serm. V. de lapsis, scribit de femina quadam indigne communicante: « Non cibum sed gladium sibi sumens, et velut quædam venena lethalia palpans et trepidans concidit: et quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. » Sic mensa Estheris et Assueri mortem attulit Amani, ubi gloriam et honorem se a cquisitum sperabat, quia hostili animo ad eam accessit. Ante arcam saltat et ludit David et benedicatur Obededom: Oza vero tangens eam sine debita reverentia occiditur. II. Reg. VI. Ruffinus in vitis PP. lib. Macarium scribit vidisse in communione alios accipere carbonem pro hostia, quem Æthiops in eorum manus imponeret, hostiamque ad altare rediisse: alios autem sumere verum corpus Christi, refugientibus dæmoniis. Illos exurebat, hos vero toto corpore illuminabat, apud Rosweid. lib. VI. de vitis Patrum, libello primo et alibi. Mel dulcissimum ac cæleste donum est, e rore cæli confectum; id quidem senibus et phlegmaticis frigidæque complexionis hominibus salutare est; pueris vero ac cholericis et quicumque calidæ complexionis sunt, noxium dicitur a Galeno. Bene igitur manna (sacræ Eucharistiæ typus) dicitur Exod. XVI. versu XXXI. habuisse gustum similem cum melle. Idem manna Hebræis de cælo datum coriandri

speciem habuit, Exod. XVI. Coriander autem hominibus conducit, canibus venenum est, secundum Isidor. et Plinium, libro XX. nat. historiæ cap. XX. Pari modo S. Thomas in hymno eucharistico canit de Eucharistia: *Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus*. Et post: *Ecce panis Angelorum, vere panis filiorum, non mittendus canibus*. Qui ergo sicut pueri non dijudicantes corpus Domini, vel cholericis, cum odio et rancore, vel ut canes immundi cibum vitæ sumunt, mortem sibi comedunt.

VII. Carnalibus, qui festa Christi natalitia et his similia convertunt in luxum. Instituti sunt hisacri dies, ut in illis spiritum nostrum, a laboribus corporis dimissi foveamus et ut Christo debitum cultum deferamus. Ad quam multi his diebus corpus tantum curant, animam negligunt, imo gravius, quam unquam alias sauciant et occidunt, et quasi denuo in seipsis Christum crucifigunt! Judæi certe eum in festo crucifigere noluerunt! *Non in die festo* aiunt: imo nec suspensorum corpora subito in crucibus relinquere. At quam multi his sacris diebus reliquerunt pendere animas suas in cruce peccati! Quam multi adeo etiam Christum denuo crucifixerunt.

VIII. Superstitiosis, qui diebus, locis, et rebus sacris abutuntur ad superstitiones, adeoque ad obsequium dæmonis, quod fere hoc tempore contingit. Sic Hebræi serpentem æneum, cujus aspectus admorsis a serpentibus salutem attulerat, converterunt sibi in perniciem et venenum, dum proposuerunt adorandum velut Deum, eique incensum adoleverunt, quem idcirco confregit Ezechias rex et appellavit eum *nohestan*, id est, *ærutum* seu *parvum æs* IV. Reg. XVIII. Debeant Hebræi inde excitari ad memoriam antiqui beneficii et gratiarum actionem, at verterunt illum sibi in venenum. Quæ autem est ingratitude et stultitia, postquam a diaboli illusionibus, quibus gentiles decepti, liberati et ad lumen deducti sumus, iterum velle in ejus servitute et Ægypti tenebras redire cum Hebræis illis, quibus propterea Deus adeo iratus olim fuit? Hoc cum in quibusdam rebus facerent Galatæ, observantes dies et menses, et tempora et annos, severam ejus epistolam scripsit S. Paulus, in qua inter alia cap. III. ait: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit, non obedire veritati?*

Videat nunc unusquisque quid in ipso operetur agnitio Christi; num sursum ad meliora tendat, et in resurrectionem: an deorsum ad pejora, et in ruinam. In vobis hoc est positum, cavete ruinam, conamini potius assurgere ad resurrectionem hic per gratiam, et ibi per cælestem gloriam.

CONCIO III.

MIRA DE CHRISTO INFANTE PRÆSAGIA.

I. Magna esse debent, quæ de infante Jesu dicta sunt. — II. Quæ Isaias dixit. — III. Quæ angelus Gabriel dixit. — IV. Quæ Simeon seaex dixit.

THEMA.

Erant pater et mater ejus mirantes super his, quæ dicebantur de illo, Luc. 2.

Magna debent esse, quæ intelligentibus et sapientibus admirationi sunt. Hinc enim Cyrum Persarum regem nihil mirari solitum esse, scribit in Cyropædia Xenophon, quod admodum sapiens et magnanimus esset. Sapientissima erat Virgo Deipara, ut nemini dubitandum, a Deo pro edocta: post ipsam sponsus ejus magnam etiam divinarum rerum cognitione præditus fuit, utpote vel a sponsa sua in plurimis dubio procul eruditus. Et tamen hi parentes Christi mirati esse dicuntur, quæ de Filio dicebantur. Magna ergo necesse est ea fuisse et admiratione dignissima: nec mirum, quia et a magnis dicta ab Isaiâ imprimis propheta, deinde ab archangelo Gabriel, demum a S. Simeone, divinitus illustrato. Ju re igitur cum Davide exclamamus, Ps. CXVIII. *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est anima mea*. Itaque et nos cum illo scrutemur pro exiguitate nostra, ea testimonia.

I. Isaias de eo prædixit, c. VII. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Et *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*. Mira sunt profecto ista et obscura. Quomodo enim *Emmanuel* vocatus? Respondeo ad litteram, quia fuit Emmanuel, id est, *nobiscum Deus*, ut exponit Josepho angelus, per Hebraismum *rocari*, idem est quod esse. Fuit autem *Emmanuel*, quia nobiscum in carne humana cœpit habitare, primo visibiliter per annos 33. deinde invisibiliter in S. Eucharistia. Indicat ergo hoc verbo eum esse verum Deum: sequenti, esse verum hominem. Indicat etiam sensu morali id nomen primo, quod prior nos quæsiverit, veniens ad nos, licet reos et inimicos, cum nos debuissimus ipsum quærere. *Nobiscum enim Deus* appellatur, non nos cum Deo, ut advertit ibi Cornelius. Venit etiam quærens homines, cum essent moribus corruptissimi, et pene omnino Dei sui obliti: cum essent in mediis ignorantie tenebris: quam obrem media nocte nasci voluit ut noctem ignorantie humanæ sua luce illustraret. « Quando venti plenitudo temporis, hoc est, quando plenitudo et abundantia temporalium oblivionem inopiam fecerat æternorum » (ait S. Bernardus, serm. I. de Adventu) « misit Deus Filium suum in mundum; » inquit S. Pau-

us ad Galat. IV. Quando igitur minime dignus erat mundus venit ad eum Deus, ipsum sibi reconciliaturus. Et tu non dignaberis prior adire inimicum tuum, eumque tibi conciliare.

Secundo, quod ipse quidem semper adesse suo auxilio paratus sit: nos vero sæpe cum ipso esse nolumus, nec cum auxilio ejus cooperari: sed fugimus ab illo, et excitantem audire nolumus, immersi voluptatibus vel iisdem inhiantes. Ipse stans ad ostium cordis nostri et pulsat, Apoc. II. nos ipsum sæpe excludimus. Proposuit aliquando Baduradus episcop. Paterbornensis in familiari colloquio circumstantibus hanc quæstionem, quid sibi vellent ea Salvatoris: « Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet? » Cui quidam ex eis respondit, S. Meinulpho diacono episcopi audiente: « Christus Filius hominis cordis nostri domicilium sibi expetit, sed peccata nostra eum inde excludunt. » Quod responsum ab episcopo approbatum Meinulphi animum tanto Christum in pectoris sui hospitio recipiendi accendit desiderio, ut non solum ei pectus suam parare atque offerre, verum etiam templum materiale construere cogitavit. Ut in vita Sancti Meinulphi scribit Gobelinus Persona, apud Sur. V. Oct. Hujus igitur exemplo, cum audimus per hos dies Christum diversorio exclusum, non habuisse ubi reclinaret caput, nisi in præsepi boum, quomodo non ei reserare cor nostrum et pro hospitio offerre possumus?

Sed quomodo butyrum et mel comedet? Respondeo ea phrasi ad litteram indicare Isaiam primo quod Dei Filius verus homo futurus, et quidem infans more aliorum infantium infantilibus cibis pascendus sit, ad tollendam omnem suspicionem, ne homo tantum phantasticus, uti Manichæi finxerunt, esse putaretur. Indicat simul sensu morali. Primo Christum communi hominum victu, vili et vulgari, adeoque minime exquisito vel peregrino, sed paupere usurum. Tanta enim erat abundantia lactis et mellis in Palæstina, ut esset cibus pauperum, velut passim obvius, ut eod. c. Isa. v. XXII. indicatur. Ergo qui Christiani esse volunt ejus imitatores sint oportet. Si enim ethnicus imp. Augustus sub quo Christus natus est, præter omnium principum consuetudinem, mores suos ac vitam ad temperantiam composuit: nam conviviis cœnisque utebatur moderatis, sine nimio sumptu: minimique cibi erat et vulgaris tantum, vini quoque parcissimus et diu rarerer bibebat: si tamen sitis urgeret, perfusum aqua panem aut fructus aliquos edebat. Veste non temere alia, quam domestica usus est, ab uxore sorore, filia neptibusque confecta: togis neque restrictis neque fuis: clavo nec lato, nec an-

BIBLIOTHECA CENTRALIS UANL

gusto: omnibus nimirum ad mediocritatem reductis: dominum denique se appellari, et si Orosio l. VI. c. XXII. credimus, eadem die, qua Christus natus est, vetuit velut divinans alium jam adesse dominum, cui aliquando rationem administrati imperii reddere deberet, teste Cuspiniano et Suetonio, in Aug. Nonne manifeste videmus maximopere incumbere Christianis, ut exemplo Christi ad modestiam et mediocritatem se componant? Si enim femina circumdedit et constrinxit panniculis virum, Deum immensum, *usquequou delictis dissolvris filia vaga?* Vaga per alienas regiones, investigans peregrinas vestes, delicias, cupedias ad satiandam libidinem?

Secundo, Christum puerum electurum dulcia qualia mel et butyrum, et reprobatum amara: secundum Isidorum Clarium, Delrium in Adag. et alios: Qui sunt autem dulces, nisi suaves, placidi, affabiles, mansueti, benefici, sinceri? Qui amari, nisi asperi, acidi, iracundi, inimites, fellei, dolosi? Illos amat evangelium, hos respuit; aut si habet, expuit. Unde olim recens baptizatis dabitur cum veste candida lac et mel, teste Tertul. lib. contra Marcion. cap. XIV. Hieron. in cap. LV. Isa. ut intelligeret sibi lacteos, suaves et candidos mores assumendos. Hinc Christus vocavit ad praepe suum pastores et magos, homines candidos et pacificos: non vocavit nec admisit furiosum et turbulentum Herodem, neque hypocritas legis peritos, expuit etiam Simonem magum, qui suscepto baptismo cum pecunia vellet emere donum impositionis manuum, diceretque se esse quemdam magnum, audit a S. Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, etc. in felle enim amaritudinis video te esse, etc.* Actor. VIII. Fel quoad colorem simile est melli, sapore et virtute dissimillimum: sic hypocrisis similis virtuti apparet, nihil tamen virtutis habet sed plena iniquitate est.

II. Gabriel angelus de eo praedixit: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in aeternum*, Luc. I. Mira etiam sunt ista. Quomodo enim occupavit sedem David? Et quomodo regnavit in domo Jacob? Respondeo ad litteram: sedem David typum fuisse supremæ sedis in Ecclesia; adeoque pontificiæ, quam primus pontifex Christus in novo obtinuit testamento, et adhuc obtinet, in cælo invisibiliter, visibiliter in terra per vicarium suum pontificem. Domus Jacob Ecclesiæ typus fuit. Primo quia sicut domus Jacob per duodecim ejus filios semine carnali propagata et dilatata fuit, ut impleret totam Palæstinam: ita Ecclesia Christi per duodecim apostolos ejus mediante semine verbi Dei, propagata et diffusa est per universum orbem. Secunda

quia domus Jacob omnes posteros fideles habuit; non sic domus Abraham, quæ Ismaelitas infideles: nec domus Isaac quæ Idumæos. In Ecclesia autem non nisi fideles sunt. Ergo Christus veram, non typicam Davidis sedem accepit, et in vera non typica Jacobi domo regnavit. Constantinus Magnus anno 326. divisurus tribus filiis suis regna sua, duxit illos ad tabulam geographicam; et huic hanc, alteri aliam assignavit regionem, non ut depictas illas regiones possiderent, sed ut veras. Sicut angelus in sede David, et domo Jacob, veluti in tabula designat regnum Christi verum. Morali sensu indicatur Christum per labores et persecutiones ascensurum ad regiam suam in cælo sedem et imperium. Quemadmodum enim David duplicem habuit sedem, primam in spelunca Odollam, cum exul fugeret Saulem. Tunc enim convenerunt ad ipsum omnes, qui erant in angustia constituti et oppressi aere alieno, et amaro erant animo, et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo 400, viri, ut habetur I. Reg. XXII. Accesserunt deinde ad eum de filiis Gad, viri robustissimi, et omnes bellatores, ut habetur I. Paral. XII. Postea moruo Saule evectus est ad regnum Israel. Eodem modo Christus in hoc mundo quasi in exilio, habuit quidem sedem regiam, sed pauperem, qualem David in spelunca: fuit enim princeps defensor et refugium omnium miserorum, et qui peccatorum debitis premebantur uti Magdalenæ, Matthæi, Zacchæi, discipulorum, etc. Unde ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, etc.* Ipse eorum princeps sustinuit persecutiones, contemptus, irrisiones, cruciatus, ac mortem denique; sic ascendit ad sedem alteram Davidis, id est, summam in cælo dignitatem ac imperium. Igitur et nos Christiani, si cum duce nostro ascendere volumus, hic prius in mundo velut exules simus.

Secundo, regnaturum Christum in Ecclesia, velut in domo Jacob. Jacob *supplantor* exponitur, sicque appellatus est, quia fratris Esau plantam, dum nascerentur, tenuit, in præsagium, quod eum aliquando supplantaturus, et sibi subjecturus esset. Qui enim plantam luctatoris tenet, utique victor est. Igitur vult Christus in Ecclesia sua habere luctatores, qui supplantent subjiçantque sibi mundum per contemptum ipsius. Sic Justinus præfectus excubitorum Anastasii imp. casu aliquando calcans paludamentum Anastasii, prædicatur ab eo futurus in imperio successor: uti et factum, apud Caussinum in politico christiano. Qui ergo per contemptum calcant fastum mundi, ad regiam in cælo ascendent dignitatem: sic supplantabunt mundum. Hinc Apocal. XII. visa est Joannis Ecclesia velut mulier lunam habens

sub pedibus, quasi calcans mundi instabilitatem quod proinde facere debeat filii hujus mulieris, omnes Christiani.

III. Simeon in hodierno evangelio duo etiam valde miranda de ipso dicit. Primum: *Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel*. Quomodo hoc? Nonne Christus ipse dixit: *Filius hominis non venit perdere animas, sed salvare?* Respondetur esse positum in resurrectionem directe et ex intentione: in ruinam indirecte et præter intentionem, ex eventu et pravitate malorum, qui Christum rebelles spernunt, quem amare deberent. Sic in domo scalæ fiunt, ut per eas pateat ascensus in superiores contignationes, non ut per eas quis decidat, et sibi crus aut collum frangat. Quod si cæcus aut ebrius quis per eas decidens damnnum ferat, non scalis profecto, quæ bono domus facta, sed sibi imputare debet.

Typus hujus diversitatis vivus est in resurrectione Christi, ubi ad ejus conspectum piæ mulieres recreatæ, et quasi vivificate sunt, impii vero custodes sepulchri, facti sunt velut mortui. Sic Judæi, quia Christum pauperem, humilem, morientem pro Messia agnoscere noluerunt, quem optabant, (utpote casuales) et expectabant divitem, potentem, pomposum instar Salomonis, in Christo scandalizati sunt, unde ei magis obligati, debitores et grati fieri debebant. Contra gentes quæ in ipsum crediderunt, per eum ex infidelitate resurrexerunt ad fidem, gratiam et gloriam. Sic etiam homines carnales mundo et voluptatibus dediti, quia vident Christi vitam et legem suis voluptatibus adversari, fidem abiciunt quomodo et hæretici, ut carnis libertate potiantur summum pontificem, quia ipsis adversatur, oderunt; et fidem catholicam respuunt, quia libertatem carnis impugnat. At quæ hæc nequitia est, inde sibi exitum parare, unde salutem oportebat? Nimirum araneæ sunt: ex flore etiam venenum surgunt, unde apes mel.

Secundum: *Positus est in signum, cui contradicetur*. Qua ratione? Respondeo. Quia Christi incarnatio, nativitas, passio, resurrectio, præsentia in Eucharistia, mysteria sunt tam profunda et recondita: vita quoque ejus tam sublimis: mandata et consilia tam perfecta, ut eis multi adversentur; sive quia intellectum suum captivare nolunt, sive quia vitæ et man-

datis ejus, carni contrariis, voluntatem suam nolunt subicere.

Judæi imprimis contradicunt ejus vitæ et miraculis, qui Messiam opulentum expectant et pomposum deliciis affluentem. Sed nonne Christus constitutus est prædicator præceptorum Dei juxta Ps. II. ? Quomodo autem persuasisset hominibus humilitatem, paupertatem, patientiam, si talis fuisset, qualem ipsi requirunt?

Gentiles contradicunt ejus morti, quasi non deceret Dei Filium in cruce mori. Sed cogitare deberent, crucem sponte ab eo electam, ut inde peccatorum nostrorum enormitas, ipsius erga nos amor et misericordiam pateret, ipseque compati infirmitatibus nostris; et consolationem, tamquam graviora passus, dare valeret.

Hæretici ejus mysteriis incarnationi, natiuitati, justificationi, sacramentis, totique SS. Trinitati, quia ex arrogantia captivare intellectum suum detrectant, et plusquam Ecclesia sapere volunt. Sed illi cogitent illud apost. ad Rom. XII. *Dico vobis non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem*. Catholici mali contradicunt ejus præceptis, dum longe aliter vivunt, ac credunt, et audiunt a legislatore suo: quia scilicet terrenarum amore rerum inescati, præsentibus inhærere miseri malint, quam futura bona inquirere. Quid igitur putatis, audient aliquando tales a Christo iudice? Utique illud: *Nescio vos, non novi vos*; quia mihi dissimiles et contrarii estis. Vespasianus juvenem petentem præfecturam, ea sola de causa repulit, quod moschum redoleret, dicens, *Mallem allium oluisset*. Solebat enim ipse luxum et delicias aversari, vili habitu et fere gregario incedere, uti aliis etiam in rebus temperans valde esse. Suet. in Vesp. Simile quid audient a Christo delicati sectatores mundi: Quid vos a me postulatis, mihi tam dissimiles, imo contradicentes et repugnantes? Agapite vos comptuli, blanduli, delicatuli. Mallem allium oluissetis! Mallem una mecum inter bovem et asinum in stabulo jacuissetis! Meam humilitatem, paupertatem, patientiam, temperantiam, obedientiam imitari debebatis; vel si non imitari prorsus, saltem non aversari, nec vitia eis contraria tam perfide consecrari. Discedite degeneres mihi que tam dissimiles, ad regnum Luciferi, regno meo cælesti e diametro contrarium.

BIBLIOTHECA U. A. N. L.